

choatum religionis, reipublicæ, DOMVS PRINCIPALIS
& posteritatis commodis aptum fore & accommodatum,
fidemque facit, renouatum in posteris cognomina ILLV-
STRIVM, STRENVORVM, SAPIENTVM, CON-
STANTIVM, MAGNANIMORVM, PIORVM &
CLEMENTIVM, quibus MAIORES decorati fuerunt,
quibus HENRICI, FRIDERICI, IOANNES, ERNE-
STI floruerunt. Ista non auguria modo piorum ciuium;
sed & vota sunt. Cum autem meminimus, diuino munere
ista tribui, TE DEVS T. O. M. antea conditorem & sta-
torem, nunc conseruatorem SAXONICÆ DOMVS, &
puræ, quæ in ditione eorum viget, religionis, per CHRI-
STVM rogamus, faue PRINCIPI, faue desideratissimæ
EIVS CONIVGI, faue utriusque felicitati, faue posteris:
serua & protege hunc statum, hanc pacem: conserua re-
ligionem: præsta his omnibus DECVS suam & ROBVR.
Sint rata piorum ciuium vota pro salute PRINCIPIS, pro
incolumitate SERENISSIMÆ CONIVGIS, pro felicitate
DOMVS SAXONICÆ & ANHALTINÆ, pro religio-
ne, pro reipublica, pro posteris. Exaudi preces
nostras DEVS, exaudi!

D I X I.



5

SERMO GRATULA-
TORIUS,
SERENISSIMO PO-
TENTISSIMOQVE
DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
AUGUSTO,
REGI POLONIARUM, MA-
GNO DUCI LITHUANIÆ, RUSSIÆ,
PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KYO-
VIÆ, WOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ,
SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ ET CZERNICHOVIÆ; DUCI
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIUM, ANGRIÆ ET
WESTPHALIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARE-
SCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ, ET SUPERIORIS INFERIORISQVE LU-
SATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, COMITI PRINCIPALI
HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ, RAVENS-
BERGI ET BARBYÆ, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN, &c.
DOMINO SUO INDUL-
GENTISSIMO,
IN
SOLENNISSIMA PANEGYRI
HUMILLIMA DEVOTIONE
NUNCUPATUS
AB
ACADEMIA LIPSIENSI.

LIPSIÆ, LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI,



Singulare prorsus eoqve notatu dignius est tempus illud, quod jam hoc anno, Dei gratia, finimus. Si quem luctus publici tristes nuncii movent (quem autem piorum non moveant?) audiit in vicinia de immatura morte Beatissimi JOHANNIS ADOLPHI, Ducis Saxoniae Weissenfelsensis Serenissimi; è remotioribus paulo locis de excessu Celsissimi Principis Oelsnensis in Silesia: è remotissimis de obitu Gloriosissimi Regis Sveciae; Trigâ hæc, proh! quam illustri longioreqve vita omninò dignissima, eodem prope tempore nostræ eheu Ecclesiae intempestive surreptâ. Sed absit omen, ut tam triste tempori nostro pretium dicamus, & à næniis argumentum celebritatis mutuemur. Potius, si ad ea quæ prioribus annis hoc tempore contigerunt, prudenter respiciamus, tempus beneplaciti, tempus gaudii, non luctus publici, lætissimi adhuc invenimus. Obsessa erat Vienna Austriae per Turcarum tyrannum, qui jam devoraverat spe avarissima, quicquid Romanus Imperator ex Hungariae reliquiis possidet; Qui Austriam totam ipsumqve caput ejus & metropolin jure gladii victor sibi asserebat, vindicabat. Sed castris exutus ille inqve turpem fugam conjectus Saxonum imprimis & Polonorum fortitudine, jacturam fortunæ suæ tantam fecit, quantum vix unquam reparare poterit. O tempus beneplaciti, quod incidit in secundum Septembris Anni 1683. cujus jucundissimam memoriam elapsis ali-

quot septimanis, fastis indicantibus, in mentem revocavimus nobis. Parva mora; postquam dies Reginae secutus est & tempus beneplaciti divini elapsum pridem, sed nunquam non memori mente recolendum, ante oculos nobis ponit. O salve dies Reginae! Salve tempus exoptatissimum victoriae, quam ante sexaginta sex annos Saxo & Svecus in vicinis campis felicissimè reportarunt. Imo salve dies Regis! ita enim hodie stylum mutare convenit, postquam Te, Potentissime Rex, Domine Clementissime, Polonia Tua throno regio dignissimum censuit, tuæque eum potestati subjecit. Faxit Deus, ut & hoc sit tempus beneplaciti, Tibique, Rex invictissime, apud Sarmatas Tuos Tuæque sub Te Poloniae omnia fluant ad votum perpetuaque felicitate utantur fruanturque omnes. Quis dubitet? cum Tu, Heros inclutissime, bellicosæ illi genti videaris imprimis arridere, Tuque huic vicissime ea, quæ par est, gravitate abblandiri.

Enimverò tanta inter Respublicas diversitas est, ut ex fati nescio an ex votis suis una non omnes ratione gubernari possint. Sunt, quarum felicitas à solâ pace dependet, & tamen dantur aliæ, quæ non absque bello salutem suam tueri possunt. Romani certè diuturnæ pacis voluptate circumfessi, à propriis vitiis victores Orbis foedissimè superabantur, ut bello adsveti quiete internâ minus recte usi fuerint. Venetorum verò Respublica sicut ad concordiam civium leges suas omnes attemperavit, ita per eam tot secula præter Exemplum floruit, ut fatalem illam, quam vocant, Rerum publicarum periodum, veluti inanes curiosorum argutias, ex Orbe sustulisse, certè à se removisse, judicari possit. Et si ad illam Rerum publicarum diversitatem respiciamus, huic omnino pacem, alteri bellum, tanquam præsidium quoddam & fatale munimentum, adscribere oportebit. De Polonia quidem ausim id affirmare, inter omnia Europæ
Regna

Regna & Respublicas vix inveniri, cui studium belli magis sit commendandum, cum & Regio ipsa, frigida illa prorsusque mascula, nec non cœlum ipsum haud mite admodum aut blandum, tam corpora quam ingenia ipsorum infantum bello initiare ac consecrare videatur. Enim verò habet & fertilissima regio, quæ ostendet pacis munera, fodinas imprimis salis, ferri, plumbi, sulphuris; agros feracissimos, in Lithuania præsertim & Podolia, adeo, ut quam Ægyptus olim Romæ perfolvit frugum ubertatem sufficienter, hæc duo Sarmaticæ Cereris horrea hodie Poloniae præbeant abundanter. Quid dicam de armentis boum, proh! quam grandium & obeforum, ut inter delicias suas ipse Apicius eos numerare non recusaret? Quid de examinibus apum tantæ foecunditatis, ut ipsas Samogitiæ sylvas incolere, arboresque in apiaria sua convertere, purissimumque mel in iis conficere, deprehendantur? Quid? quod ipsum Manna, divina non minus quam olim benignitate in deserto, ipso cælo defluere, ac passim agros obtegere cernatur. Hæc verò aliæque innumera pacis bona cum Polonia in suum suorumque commodum Domi magnam partem convertit, foris eorum usum mercaturæ beneficio longe lateque per omnem propè Europam diffundit; quem in finem Vistulæ imprimis, fluminis sui nobilissimi, ministerio utitur, ut deinde terra marique hæc Sarmaticæ merces inter externos dispensari, plurimumque usibus in servire possint. Quis itaque Poloniam à pace, cui tot tantaque beneficia debet, aut etiam ejus studio alienam esse putet? Sed in proximâ vicinia latitat, quid? grassatur barbaries ipsa, & Turcarum Tartarorumque immanitate munita, optimæ Poloniae necessitatem gerendi bella imponit, & armorum studium præ omnibus pacis blanditiis maximopere commendat. Hinc totius gentis amor in bellum prorsus singularis, ac propemodum naturalis, adeo ut ipsæ
B etiam

etiam foeminae olim exercitibus immixtae specimina fortium virorum pugnantibus vincentibusque dederint, alibi-que fabulosas Amazonas, hic veras fuisse monstrarint. Postquam autem ad colum retractus à Piaſto ſexus ſequior, maſculum militandi artificio non immutatum in viris, ſed maximè adauctum fuit. Inuenias hic inter ipſos Heroas togatos adhuc hodie Pompejos, Scipiones, Metellos, qui poſtquam in Senatu cenſuerunt, præpoſiti Legionibus, Infulis, Magiſtratibus, lauros ex victoria implicitas ingenti gloria merentur. A reliqua verò nobilitate quantum Exercitibus robur accreſcit, quantum pondus adjicitur! Nam ex ſolis Nobilibus, qui privatis ſuntibus regno militare adſtricti ſunt, centum quinquaginta millia gravioris & levioris armaturæ militum cogere Rex, & in aciem, ſi neceſſitas ferat, educere poteſt. Hic verò Dux & Autor opus eſt, qui fortitudine præſtet ipſe, qui prudentia & auctoritate polleat, tantumque militarium liberrimorumque hominum confluxum debite moderari & intra cancellos retinere valeat; Rex, inquam, fortiſſimus, pariter ac prudentiſſimus ad clavum ſedeat neceſſe eſt, cui gloriam obſequii debere ſe reliqui agnoſcant ſponte, factoque fateantur ipſo. Talem verò in FRIDERICO AUGUSTO accipit hodie Polonia; eligens Electorem, cui Monarchas mundi, Romanorum Imperatores, cum paucis aliis eligere à Deo datum eſt; Saxonem, ut ſaxeo nitatur fundamento, Reipublicæ præficiens; Militem, quid? Heroem militibus imponens copiis, ut hæ deſidiâ nullâ, nullis infidæ pacis inſidiis inefcari ſe decipique patiantur. Tantum verò eſt Saxonia Principem quando ſinu ſuo excipit hodie fovetque Polonia, non poteſt non meminiffe illius temporis, quo eſt Saxonia in Poloniam venit hospes Auguſtus, ejuſque duci primus regiam dignitatem contulit. Erat is Otto III.

Impe-

Imperator, quartus, ſi ad ordinem reſpicias, meritis autem rerumque geſtarum gloria facile primus, eorum, qui inter Saxones ad ſupremum illud Imperii ſaſtigium aſcenderunt, quique Boleſlaum Chrobri, Poloniæ Ducem, hospes gratiſſimus Regem ſolenniter creabat, & amicum Romani Imperii à tributo & omni Jurisdictione Imperatorum cum poſteris immunem declarabat. In Poloniam vero ex Exteris cum tam benignus fuerit Saxo Imperator, Saxonibus ſuis ſuo ſanguine oriundis quantum felicitatem dignitatemque comparavit & hæreditariam reliquit! En in compendio ſeriem gloriamque Majorum haud exiguam, quam Epitaphium ejuſ, ab ipſo FRIDERICO tertio, Electore Saxoniae, Auguſtæ Vindelicorum in Templo Divæ Afræ Martyris, ubi inteſtina ejuſ humo condita ſunt, extructum, publice ſolenniterque celebrat, veriſque coloribus depinxit: Imperatori Cæſari Ottoni Auguſto tertio, ex gente Magni Wittekindi, Saxoniae Regis, Cæſaris Ottonis Auguſti ſecundi filio, Cæſaris Ottonis Auguſti Magni Nepoti, Regis Heinrici Auguſti Aucupis Pronepoti, Ottonis Ducis Saxoniae & Romani Imperii Gubernatoris Abnepoti, Luidolphi Saxoniae Ducis Atnepoti, Brunonisque Saxoniae Ducis & Wittekindi fratris Trinepoti. O confluxum Heroum, quantum alibi fruſtra quæras, nullibi invenias; niſi quod in Noſtro FRIDERICO AUGUSTO, virtutes ſingulorum ſuperſtites adhuc & quaſi redivivas deprehendamus. Nam & invictus Magni Wittekindi animus, & Heinrici Aucupis amor in patriam, cujus Pater publico titulo non minus ac Trajanus olim ſalutatus fuit, & Ottonis primi, qui amor humani generis dici meruit, modeſtia, & ſecundi fortitudo adverſus Barbaros, & tertii ſtadium pro dignitate Germanorum, quibus faſces Imperii aſſerebat ſolis, &

B 2

quic-

quicquid in reliquis admiratione ac imitatione dignum fuit, elucet haud obscure, hodieque à Saxonia nostra cum Polonia benignè communicatur. Quod si verò ad eos, quos propius attingit FRIDERICUS AUGUSTUS noster, oculos convertamus, & numerus Heroum & virtus eorum non minor esse conspicitur, adeò ut compendium omnino adhibendum sit à me, quo è paucis reliquis cognoscatis omnes, eorumque non minus virtutes quam sanguinem in Nostro notetis collaudetisque. Quis verò dignior est, quem primo loco nominem, Alberto animoso, qui & inter capita Domus Saxonicae merito suo eminet, lineamque quam vocant, sibi cognominem auspicatus est, & cujus fortissimum animum nec non fortunam maxima quæque promittentem in Nostro reviviscere haud immerito dixeris. Nam & Albertus Rex Bohemiae aliquando designatus, & ab ipso FRIDERICO Sapiente, aut quanto Electore, & modo voluisset, post mortem Maximiliani primi Imperatore, jam mortuus, is judicatus fuit, qui Cæsar creari meruisset. Postquam enim de Successore tunc solliciti essent Electores, inter illas deliberationes (ita scribit autor fide dignissimus) dixisse Fridericum accepimus: Si Patruus suus Albertus viveret, nemini alteri Imperii se gubernationem concessurum fuisse. Quid itaque mirum, quod simillimus ejus FRIDERICUS AUGUSTUS Noster hodie Rex Poloniae sit electus similiqve diademate insignitus? Quid mirum, quod Leopoldus Imperator summam rei bellicae commiserit Nostro, cum & Albertus animosus à Friderico Imperatore pater suorum & custos Salutis publicae appellatus, imò in comitiis Imperii Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, imperante Maximiliano primo, rogatus fuerit, ut se Ducem Imperii bellicum supremum contra hostes

no-

nomine publico designari pateretur; etsi id recusavit. Inter hujus Nepotes è Filio Heinrico erat Mauritius, Principum fortissimus, quique eo magis observandus est à nobis, quo propius ad eum in hoc ætatis flore Noster accedit, seculoque redivivum reddit. Nam cum ille contra Gallos strenuissimè pugnaverit; Noster iterum iterumque in eandem arenam imperterritè descendit; cum ille cum Turcis conflixerit magno animo, & nunquam haut minori vitæ suæ periculo; Noster jam aliquoties cum iisdem barbaris fortiter congressus est, vitamque suam pro salute publicâ immolare haud recusavit. Uterque verò tot tantaque præstitit, antequam ad virile robur per ætatem adspirare potuerit. Quid itaque sibi Polonia de Nostro impostero promittere, quid ab eo quantumque expetere poterit aut expectare? In Augusto, Fratre Mauriti ac Successore, admirabantur Majores nostri tria illa, quæ in Achille celebrat Poëtarum princeps Homerus, formositatem, humanitatem & insigne cum primis corporis robur; quo cum polleret quam qui maxime Augustus, strenuè quoque ac decenter eo uti non nesciebat. Hinc ad regulam non tantum eleganter equitare, sed & eques in ludis fortissimè pugnare, ephippioque adversarios, hasta sua, in certissimum victoriæ signum, exturbare noverat, quem triumphum plusquam quinquagies eum egisse, publicæ Tabulae in Aula Electorali adhuc hodie attestantur, variosque pugnantium casus in imagine oculis spectantibus subjiciunt. Noster hodie non minus firmisimi est roboris & viribus corporis magno animo haud imparibus, quod est, prorsus heroicis, quibus & ea tam pedes, quam eques præstitit domi ac foris, quæ prodigiis videri possunt similia, aliosque ad admirationem potius quam imitationem excitare valent: Dicit autem vix potest, quid inde subsidii strenuus miles

C

acci-

accipiat, ut & molestias belli facilius ferre, & impetum hostilem felicius sustinere certiusque profligare possit. Quo referri quoque meretur progymnasma illud militare Principum, quod artem venandi esse Antiqui jam agnoverunt atque deprædicarunt. Qui enim cubilibus suis feras excutere novit, hostes propugnaculis suis dejicere non ignorabit; & qui bestias triumphare potest, cur homines vincere haut valeat! Hoc verò pugnandi tyrocinium didicit Noster adhuc Juvenis, postquam Pro-Avum JOHANNEM GEORGIUM I. incomparabilem artis hujus Magistrum fuisse accepisset, & non pauca ejus specimina in Parente suo JOHANNES GEORGIO III. præsens observasset; ipse neutro hodie hac in arte minor eoque felicior, quo utilius in bello eam in succum & sanguinem convertere potest. En enim, quo jam ordine delatissimus, in campos nimirum Martios, ubi inter tubas & clangores, inter tympana & morientium ejulatus medium invenimus nostrum, imperterritum prorsus sanguineque fusorum à se hostium adhuc stillantem coruscantemque. Primitias hujus fortitudinis suæ debebat disciplinæ beatissimi Parentis sui, Herois fortissimi, qui postquam Filium charissimum & educare domi perquam sollicitè, ac foris apud Exteros rara & cara peregrinatione per Belgium, Galliam, Angliam, Italiam, imò & Hispaniam ac Lusitaniam perpoliri prudenter curasset, eum in castra secum abducebat & adversus Gallos officio primùm militis, post & Ducis defungi & velitationibus ac expugnationibus urbium, Moguntiae imprimis, strenuè interesse cum applausu videbat. Quis itaque miretur, quod post excessum Parentis optimi eadem vestigia presserit, & majores subinde progressiones in hunc usque diem fecerit? Quis miretur? quæ virtus ejus indolesque omninò heroica invictissimum

Imperatorem Leopoldum dubio procul permovit, ut in tertium jam annum exercitus suos in Hungaria supremo ejus moderamini submiserit, eo, Deo sint gratiæ, successu, ut Turcarum barbaries ipseque præsens orientis Tyrannus sine spe specieque victoriæ domum semper redire opus habuerint. Nostro enim quid quantumque hoc nomine debeat, unusquisque facile intelligit, qui supremos militiæ Duces primo mobili non dissimiles esse meminit, cujus motum inferiores sphaeræ necessariò sequuntur. Hunc verò, o bellicosissima Polonia, militarem Regem gratulamur Tibi animitus, tuæque fortunæ incrementa, hoc assertore ac vindice, spe certa jam præcipimus, non dubitantes fore, ut antiqui tui limites tibi restituantur denuo, & Caminitium in primis tuæ iterum potestati subjiciatur. O quam pulchrum hoc erit spectaculum, quando Regem hunc tuum, victorem ac triumphatorem, excipies in castris, totque ac tantis justissimè partis spoliis onustum in aulam reduces. Numerabis aliquando victorias ejus & non pauciores invenies Boleslai Tertii victricibus laureis, quas ille merito suo ab hostibus reportavit. Nam Poëta quoque observante deprædicanteque

Quinquaginta pugnavit prælia signis
Collatis, casu non variante fidem:

Quippe quod toties vicerit, quoties pugnavit. At enim verò & Tibi, Rex invictissime, Martium hunc campum tuum, quem in Sarmatia ingrederis, toto petore, ore ac corde gratulamur, Teque pugnantem votis ac precibus nostris, vincentem applausu & tripudio comitabimur. En occasionem, qua Poloniam tuam, quid? Austriam quoque ac Hungariam, quid? Borussia Ducalem & Silesiam, imò quicquid Sarmatiæ tuæ situ non minus quam societate foederis est con-

junctissimum; quid? Totum Christianum orbem contra Barbaros fortiter ac feliciter defendere poteris. Sed quæso altero semper oculo ad nos clementer respice, & his regionibus quietem perpetuam indulge. Non florent hæc, nisi pacis beneficio, quippe quod mercaturæ ac agriculturæ, & Metallis effodiendis, & studiis bonarum artium pertractandis inprimis sint deditissimæ. His itaque Dei ac naturæ muneribus & Tu, Domine, fave, & inter armatos tuos Sarmatas ad nos Saxones tuos togatos vultum tuum placidissime converte, paceque nos ac quiete frui gratiosissime permitte. Fidelem hic habes populum, adeo ut in sinu uniuscujusque tutò quiescere, Magnoque illi Principi, qui potentiam & opulentiam suam haud aliunde petebat, palmam dubiam reddere possis. Nosti, ex præcepto divino Cæsari danda, quæ sunt Cæsaris, Deo, quæ sunt Dei. Ad hanc regulam si nos conformemus, & Deo & Tibi non displicere poterimus. Deo ea, inquit ex Ecclesiæ antiquæ Doctoribus Hilarius, quæ Dei sunt, reddere nos oportet, id est, corpus & animam & voluntatem eique innocentiam nostræ conscientiam servare. Reliqua, quæ fortunæ bona sunt, urgente salute publica, Magistratui non sunt deneganda. Tales & nos habebis, Rex Potentissime, qui ut Deo etiam tales perpetuo nos exhibere possimus, piè sancteque, ceu vovemus & speramus, permittes. Sic Polonia Saxoniam nostram de pace ejusque commodis, Saxoniam Poloniæ de Victoriis ac triumphis nunquam non gratulari poterit, mutuamque gaudium prolixissime contestari.

Dixi.



SOLEMNIA GRATVLATIONIS,
AD
SERENISSIMUM POTENTISSIMUMQUE
DOMINUM,
DN. AVGVSTVM II.
REGEM POLONIARVM,
MAGNUM DVCEM LITHVANIAE,
RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGI-
TIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE,
SEVERIAE, CZERNICHOVIAE,

ETC. ETC. ETC.
DVCEM SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, ET
MONTIVM, ANGRIAE, ET VESTPHALIAE,
S.R. IMPERII ARCHIMARESCHALLVM ATQUE
ELECTOREM, LANDGRAVIVM THVRINGIAE,
MARCHIONEM MISNIAE, ET VTRIVSQUE
LVSATIAE, BVRGGRVIVM MAGDEBVRGI,
COMITEM PRINCIPALI DIGNITATE HENNE-
BERGICVM, COMITEM MARCAE, RAVENS-
BERGAE AC BARBY, DYNASTAM
RAVENSTEINII, ETC. ETC. ETC.

DOMINVM NOSTRVM CLEMENTISSIMUM,
IN TEMPLO ARCIS,
AVCTORITATE ET FVSSV PVBLICO,
NOMINE

ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
HABITAE
A
CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIO,

NON. } SEPTEMBR. { FAST. VET.
EID. } { FAST. NOV.
A. DIONTSIANO 11, 126 XCVII.